

trem imitatos, ex bello pacem, & rursus, quum opus sit,  
ex pace bellum conficere. Senatus, et si jam antea per se  
satis ad bellum inclinabat, hujusmodi tamen hortationibus  
adhuc magis impulsus, bellum miro consensu decernit:  
decretumque, ut omnia ex imperii dignitate fierent, pro  
concione populi hosti indicendum curavit. Ad cuius de-  
nunciationem tanto studio ex tota concione est reclama-  
tum, tantus vocum favor undique consecutus, ut mani-  
feste appareret, nullum unquam bellum majore omnium  
ordinum consensu fuisse adversus quempiam suscep-  
tum. Decernitur itaque statim duplex classis: una quæ Appuliæ  
& Calabriæ oram, si quid Ferdinandus movisset, infesta-  
ret; altera quæ per Padi fluenta in hostium fines agere-  
tur: illi Victor Superantius, penes quem jam antea erat  
maris imperium, præcesset; huic Damianus Maurus, uter-  
que vir impigerrimus. Verum non aquis solum, sed ter-  
ra quoque bipartito in hostem movendum rati, ita belli  
partes ducibus comparant, ut Rubertus Severinas (quem  
aliquanto antea amplio stipendio conduxerant) rem citra  
Padum cum valido gereret exercitu; ultra vero ex Fla-  
miniæ finibus Rubertus Ariminensis, copiarum omnium  
imperator. Multi ex plebe, non magis spe prædæ, quam  
odio in Ferrarienses, quorum superbiam uno ordine sto-  
machari omnes, ad novam belli denunciationem exciti,  
sine publico stipendio terra & aquis Veneta signa sunt se-  
cuti: mutuæ adhortationes alterius alterum ad id bellum  
invitantium passim exaudiri; voces præterea populares,  
excidium Ferrariæ ominantium: usque adeo totius civi-  
tatis odia in Ferrariense nomen exarserant. Vidisses ita-  
que omnia statim mutata: naves ad bellum instrui; viros,  
arma, commeatum expediri. Et jam multitudo navium  
ingens ex urbe profecta erat, quum Rubertus Severinas  
& Antonius Lauretanus, qui legatus illi est datus, Le-  
niacum processerat: ii, exploratis jam antea locis, statue-  
runt per Tartari fluminis stagna, quæ sunt inter Athesim  
& Padum, in hosticum copias transmittere.

Sed locus hic exigit ( quando tota fere Gallia, quæ in-  
fra

*Decreti bel-  
li appara-  
tus.*

1482